



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 12. Quid imaginatio possit vel non possit in corpus proprium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

disset exanimato panè iuvene, tam auidè infixis dentibus. De his tam absurdis appetentijs ciborum medici quidem plurima, sed & apud Philosophos nonnulla: velut Aristoteles in lib. de Animal. idq; fieri dicunt ex humore in stomacho vitioso: qui si viris quoque contingat, non dissimilia expetent. Quòd si ergo feminis vterum ferentibus negentur eiusmodi desideria, vel abortionem, vel eius ipsius rei, quam adeptæ non sunt, maculam in partu faciunt, ea præsertim parte, quam manu fricant. Cuius rei caussa in arcanis naturæ est. Fieri imaginatione, nemo negat; quo modo imaginatio vim hanc exserere possit, nemo explicat satis.

§. XII.

Quid imaginatio possit, vel non possit, in corpore proprio?

Multi enim de Phantasia disputauerunt; omnes concedunt vim imaginationis esse maximam. Neque est qui dubitet, imaginationem in corpus imaginantis plurimum posse; immò D. Thomas asserit, posse omnia, quæ naturalem coordinationem habent cum imaginatione, vt sunt motus locales, & alterationes per frigus, calorem, & quæ hanc alterationem consequuntur.

Verba

Verba sunt S. Thomæ : *Dicendum, quòd imaginationi, si fuerit fortis, naturaliter obedit corpus, quantum ad aliqua: puta quantum ad casum de trabe in alto posita: quia imago nata est esse principium motus localis: ut dicitur 3. de Anima. Similiter etiam quantum ad alterationem que est secundum calorem & frigus, & alia consequentia, eò quòd ex imaginatione consequenter nata sunt consequi anime passionis secundum quas mouetur cor, & sic per commotionem spirituum totum corpus alteratur. Alie verò dispositiones corporales, que non habent naturalem ordinem ad imaginationem, non transmutantur ab imaginatione, quantumcumque sit fortis: puta figura manus vel pedis, vel aliquid simile; ut est, adijcere ad staturam suam palmum, habere barbam, vel habere talis, vel talis coloris barbam. Quàm enim multi sibi hæc talia imaginantur, & tamen nec barbescunt, nec rufescere desinunt, nec fiunt longiores. De reliquis autem experientia est in noctambulis illis, qui in somno, sensibus sopitis, per imaginationem mira faciunt: quemadmodum Galenus de se ipso testatur, se integrum ferè stadium confecisse, nec antè à somno excitatum, quàm in lapidem*

S. Thom.
3. p. disp.
13. ad 3. &
1. 3. cont.
gent. cap.
103. Arist.
lib. 3. de
anim. tex.
48.

pidem offendisset; eodem modo Theonem Stoicum dormientem in somnis ambulare; Periclis seruum in summo tecti fastigio solitū spaciari. Cuius rei rationem esse aiunt, quòd imaginatio, dum rerum sensu perceptarum simulacra retractat, simul etiam excitat potentiam appetitiuam ad timorem, pudorem, iram, aut tristitiam, quæ affectiones, hominem ita afficiunt, vt calore, vel frigore alteratus palleat, vel rubeat; exiliat, vel torpescat, efferatur, vel deiiciatur. Quod contingit potissimum in his, quorum imaginatio est vehemēti-
 or; & qui acrius perturbari, ac res tenaci-
 us apprehendere sunt soliti. *Dicamus moueri dormientes*, ait Andreas Laurentius, *quia exigua vis in musculis latens à forti imaginatione excitatur: propterea non momentur somniantes, nisi valida imperante imaginatione, brutorum imaginationi simillima, ante quam necesse est rei externæ vel totius, vel ex parte sensum aliquando præcessisse, licet dudum præcesserit.*

Andreas
 Laurent.
 lib. 4. hist.
 Anatom.
 q. 12.

§. XIII.

Quid imaginatio possit in corpus quasi alienum?

Sicut igitur multum potest imaginatio
 in